



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 14. Liberius vult Concilium celebrari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

nem Arianorum cum Meletianis statim Sæculum IV.
A. C. 353.
post suam ad Episcopatum Electionem
tum causam Ischyrae, & Arsenii, Acta
Concilii Tyriensis, delegationem in Ma-
reotidem, & suam relegationem Trevi-
ros, tandem Epistolam Constantini ju-
nioris, se ab exilio revocantis, addit.
Quæ in fine de Liberii, & Osi lapsu di-
cuntur, serius adjuncta videntur, nam
ex totius Apologiæ contextu apparet,
scriptam fuisse, antequam Ursacius, &
Valens a sua retractatione resiliissent, aut
saltem antequam de eorum repetita per-
fidia S. Athanasius rescivisset.

§. XIV.

Liberius vult Concilium celebrari.

Ubi Liberio Papæ relatum, quam im- Fragm. ep.
ap. Baron.
an. 353. n. 19.
& in frag.
Hilar. p. 426.
becilliter Vincentius Capuanus, ejus
in Concilio Arelatensi Legatus, Arianis
cessisset, maximo dolore tactus est. De
hac afflictione sua ita in Epistola ad O-
sium: *Magnam spem in Vincentio posue-
ram, quod scirem, hanc causam ipsi esse
plene perspectam, cujus tecum jam se-
pius judex fuisset; ut non solum profecit
nihil, sed & ipse ignaviter dissimula-
vit non ferenda. Multiplici dolore tor-
queor; hoc autem apud me statui, potius
pro Deo mori, quam sententiam iniquam
meo calculo approbare.* Vult dicere, quod

Sæculum IV.
A. C. 354.

Athan. ap. I.
p. 703. Libel.
Faust. &
Marc. p. 28.

calumniarum in S. Athanasium particeps esse nolit. Scripsit quoque hac super re ad Cæcilianum Episcopum Spoletanum, exhortans, ne ex Vincentii exemplo scandalum accipiat. Dum Liberius his angustiis premitur, videns aliis etiam Italiae Episcopis vim inferri, ut sententiae Orientalium serviliter se subjicerent, opportune ad eum venit Lucifer; is erat Episcopus Calaritanus, Sardiniae, & vicinarum Insularum Metropolitanus, quem jam tunc rerum terrenarum contemptus, litterarum amor, vitae integritas, & in fide constantia in Ecclesia illustrem fecerant. Huic Arianorum fraudes erant exploratissimae, sciebatque, haereticos condemnandi Athanasii specie fidei Catholicae ruinam moliri. Se ipsum ad Regiam profecturum, & Imperatori, quid rei subesset, accurate manifestaturum ultro promittebat, quo obtineret, ut cum Imperatoris consensu in celebrando Concilio quaecunque dubia essent, legitime tractarentur.

Athan. ad
solit. p. 836.

epist. ad
Const.

Gratum accidit Liberio, quod Lucifer iter suscipere ad aulam vellet, addiditque socios Presbyterum nomine Eutropium, seu Pancratium, & Diaconum, nomine Hilarium cum litteris ad Imperatorem, reverentia quidem, sed & vigore plenis; in his memorat, sibi, quando Concilium a Constantio petiisset, mentem

mentem non fuisse, ut in eo solius Athanasii causa ageretur, sed plura alia; præprimis autem causam fidei tractandam fuisse. Accusationem refellit, quasi litteras Orientalium suppressisset, quibus Athanasius reus esse probabatur; dicitque, lectas a se fuisse in pleno Concilio, iis autem fidem habere non potuisse, cum iisdem testimonium septuaginta quinque Episcoporum Ægypti refragaretur. Dicit deinde: *Orientales declavant, quod velint in pace, & communione nobiscum vivere; at, quæso te, Auguste! qualis pax, quæ communicatio inter nos & ipsos? cum ex parte eorum stent, & communicent Episcopi quatuor Demophilus, Macedonius, Eudoxius, & Martyrius, qui ante octo annos Mediolani, cum opinionem hæreticam Arii condemnare nollent, fastidiose Concilio excessere?* Hic videmus hanc Epistolam fuisse scriptam anno 354. nam Concilium, de quo loquitur, est primum Mediolanense, actum anno 346. In hac quoque Epistola Liberius refert, quod nuperime in Concilio Arelatensi contigerat; ubi, Legatis suis quantumcunque instantibus, Orientales Arii hæresin condemnare recusassent. Idcirco Imperatorem obsecrat, ut omnia iterum in Concilio Episcoporum sollicitè examinari jubeat, in quo fides Nicæna pro fundamento reliquo-

Sæculum IV.
A. C. 354.

Liberius
Papa.

Sup. l. XII.
§. 29.

Sæculum IV. liquorum omnium ponatur; tandem ro-
A. C. 354. gat; Luciferum, Pancratium, & Hilarium
 a se missos, benigne audiat.

*Epist. 3. ad
 Euseb.*

Papa simul scripsit ad Eusebium Epis-
 copum Vercellensem, atque ideo aula,
 quæ tunc Mediolani erat, vicinum; e-
 rat in Sardinia ortus, inde ei cum Luci-
 fero Calaritano necessitudo nasci potue-

Hier. Script.

rat. Patriam, & quietem, qua inter
 suos frui licuisset, reliquit. Romæ in Le-

*Ambros. ad
 Vercell. ep.
 63. n. 68.*

ctorem ordinatus est. Inde Vercellas
 venit, ubi tantam sibi populi æstimatio-
 nem peperit, ut, cum Sedes vacasset,
 præteritis indigenis, ipse præponeretur.
 Omni populo Eusebium postulante, Episcopi
 elegerunt. Is primus est hujus Ec-
 clesiæ Episcopus, cujus nomen sciamus;
 primus etiam in Occidente fuit, qui vi-
 tam Clericalem Monasticæ conjunxit,
 cum ipse, & sub ejus auspicio Clerici e-
 jus, in urbe vitam ducerent, ab illa,
 quam Monachi in desertis agerent, haud
 multum absimilem, in jejuniis, frequen-
 ti diurna, nocturnaque oratione, lectio-
 ne, & labore manuum, a mulierum so-
 cietate remoti, alter alterius tentatio-
 nes, & lapsum præcaventis; jam tunc
 eorum Communitas, Monasterium dice-
 batur, ex qua sancta schola plures Episcopi
 illustres prodire. Ipse S. Eusebius
 hac vitæ austeritate, ad Christianam for-
 titudinem informabatur, qua sequenti
 tempore

66.

n. 71.

tempore persecutiones tulit. Quia igitur zelus ejus, & cum Lucifero amicitia Liberio Papæ cognita erat, scripsit ad eum, rogans, ut, si fieri posset, se Lucifero jungeret; meliorem mentem circa res fidei Imperatori indere conarentur, iracundiam ejus moderarentur, & ad procurandam Ecclesiarum pacem promoverent. Necdum hac Epistola satis pacis curam Eusebio esse mandatam ratus, scripsit & alteram, postquam jam legati ejus profecti fuerant, preces repetens, ut juncta opera eos juvaret in defensione Ecclesiæ, & absentis, quem contra jus omne condemnare volebant, nempe S. Athanasii. Eusebius amicissime Legatos excepit, rescripsitque ad Liberium, qui, data tertia Epistola, gratias egit, etiam atque etiam exhortans, pro Ecclesiæ causa laboraret, & convocandum Concilium curaret. Liberius etiam ad Fortunatianum Episcopum Aquilejensem scripserat, credens eum magis bonorum æternorum spe, quam timore hominum moveri; rogabat ergo, ut cum Legatis suis causam communem ageret, & præsentia sua, si id peterent, firmaret. Fortunatianus erat natione Afer, & in Evangelia Commentarios stilo brevi, & rustico scripsit. Spei bonæ, quam de eo Liberius Papa conceperat, sequentibus non respondit.

§. XV.

Sæculum IV.
A. C. 354.*Epist. 5.**Ibid. Ep. 5.**Hier. Scrip.*

Sæculum IV.
A. C. 354.

§. XV.

Galli Cæsaris exitus.

Socr. II. c. 33. Sozom. IV. c. 7. Hier. Chr. an. 353. V. stor. Cæsar. Philostorg. III. c. 28. & IV. c. 1. **D**um in Occidente omnes Concilium cogitant, Judæi in Oriente, seditione commota, res novas moliuntur. Diocæsareæ in Palæstina, armis sumptis, Præsidarios una nocte jugulant, tum sub quodam, nomine Patritio, Duce, quem Regem suum appellabant, excusso Romanorum jugo, proximas Provincias percurrunt; Cæsar Gallus, qui Antiochiæ degerebat, copias immisit, quæ, occisa eorum magna multitudo, ne impuberes quidem servarunt, Diocæsaream, Tyberiadem, Diospolim, pluresque alias urbes, injectis flammis, vastaverunt; in Persas quoque arma moventi Gallo fortuna favere cœperat; at primo rerum successu insolens juvenis, quibusdam injusta vi patrat, animi crudelitatem prodidit; præter hæc affectati Imperii accusabatur. Tandem Constantius, in partes Occidentis insidiosè pertractum, comprehendendi iussit; iudices deinde dedit, & lata mortis sententia, capite plexus est, in Insula, quam Flanonam dicebant, haud procul Polo in Istria. Gallus annos natus erat viginti novem, & quatuor regnaverat, nempe ab anno 351. usque ad annum 354, nam sub finem hujus anni necatus est, cum esset Consul tertio, &

Sozom. IV. c. 7. Theod. III. hist. 1. c. 3.